

\_Lettera\_N\_2316

Al papa Pio IX

Roma, anter. 21 aprile 1876

Beatissime Pater,

Joannes Bosco Sacerdos ad Sanctitatis Tuae pedes provolutus humillime pro Salesiana Congregatione exponit:

Sanctitas Tua, Beatissime Pater, sub die 1° octobris anni 1875 dignabatur declarare omnes Congregationis domus ab omne Ordinariorum jurisdictione et visitatione exemptas esse quoad disciplinam et materiale regimen. Quae ut licite et absque anxietate fiant alia humiliter postulatur quae ad maiorem Dei gloriam valde conferre censentur et quibus Congregatio Missionis, Passionistae, Redemptoristae, Oblati B. M. V. caeterique religiosi et congregationum ecclesiarum socii generatim gaudent. Praecipua et in primis necessaria haec sunt:

1° Superiores alicujus domus congregationis omnia munia Parochialia exercere possint erga omnes habitatores ejusdem domus. Hinc omnes salesiani presbyteri ad audiendas sacramentales confessiones jam in aliqua dioecesi approbati sola superioris deputatione sociorum aliorumque de familia confessiones excipere possint. Iidem Confessarii socios secum iter habentes absolvere possint, etiam extra dioecesim, in qua extat domus, praecipue cum ad exterarum Missionum proficiantur.

S. Pius V Bulla Ad immarcescibilem, Benedictus XIV pro Piis Operariis Brevi 24 maji 1751, Clemens XIV Brevi Supremi Apostolatus pro Passionistis.

2° Habita ratione temporum, et magnae penuriae sacerdotum, praecipue eorum qui ad exterarum missionum mittendi essent, clerici salesiani, dummodo necessariis praediti sint requisitis, extra tempora a sacris canonibus statuta ordines tum minores tum majores accipere possint, servatis servandis, etiam quoad interstitia

cujus dispensatio semper ad Episcopum ordinantem spectabit.

Gregorius XIII Brevi Pium et utile pro societate Jesu. Leo XII Brevi Plura inter. Tandem pro Congreg. Missionis Pius IX (quem Deus diutissime incolorem servet) Brevi: Religiosas familias 13 maji 1859.